

nostro oraculo, non erit alienum de illis hæc duo inquirere, primum, quid hic speciatim significant? deinde, quamnam habeant relationem ad Nominis divini appropinquationem, cujus occasione hoc loco commemorantur? Quid speciatim hic per mirabilia Dei intelligatur, illud vel ex solo vocabulo נִפְלְאוֹתַי, quod a נִפְלֵא occultum fuit, nomen habet: Inde enim נִפְלְאוֹתַי, participium alias sc̄eminini generis, quod pro neutro ponitur, in plurali tamen potissimum numero, quomodo נִפְלְאוֹתַי dicuntur omnia ea, quæ sunt nobis mirabilia, seu occulta, cum illa sit intellectus nostri conditio humani, ut illa admiremur, quorum natura, causæ, aut circumstantiæ, nobis sunt occulta. Quando itaque speciatim *mirabilia Dei* commemorantur, statim apparet, quod illa denotent h. l. omnia Dei opera admiranda, quæ humanæ rationis captum & finitæ naturæ vires, longissime excedentia, nos rapiunt in admirationem divinæ, tam sapientiæ & potentiæ incomprehensibilis, quam immensæ benignitatis & infinitæ justitiæ, quorum respectu etiam solus Deus dicitur *facere mirabilia*, Psalm. LXXII, 18, ubi, *benedictus est Dominus, Deus Israel*, inquit Psalter, *qui facit mirabilia solus*. Et, licet alias speciatim quoque & κατ' ἐξοχήν, admirandæ Ægyptiorum plagæ, reliquaque miracula, quæ fecit Deus, cum populum Israeliticum educeret ex Ægypto, dicantur *mirabilia Dei in Ægypto*, Psalm. CVI, 7, Exod. III, 20, Mich. VII, 15, quæ etiam hoc loco, in primis connotantur, tamen nihil prohibet, quominus & reliqua omnia Dei opera mirabilia, antea descripta, huc referamus, quoniam hoc loco de piis omnibus & fidelibus asseritur, quod סִפְרוּ נִפְלְאוֹת יְהוָה, quod enarrent, hoc est, celebrent, *mirabilia Dei*, ad eum modum, eoque sensu, quo Psalter, in Psalm. IX, 2, scribit: אֲסַפְּרָה כָּל-נִפְלְאוֹת יְהוָה, *narrabo, h. e., celebrabo, omnia mirabilia Dei*. Hoc  
confi-